



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXXVI. Propter peccatum mortale Deum permittere, vt inordinata hominum desideria, quæ in damnum & perniciem animarum ipsorum redundatura sunt, impleantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

pœnam minatur, super te veniet, & in tempore pœnæ, ac vindictæ, hoc est, quando iudicium de te fiet, disperdet te, atque in æternum condemnabit.

Propter peccatum mortale Deum permittere, ut inordinata hominum desideria, qua in damnum, & perniciem animarum ipsorum redundatura sunt, impleantur.

CAP. XXXVI.

DESIDERANT homines in hac vitâ multa temporalia bona, vt sunt continua fanitas, longa vita, affluentia, dignitates, officia primaria, generis nobilitas, familiaritas, & fauor principum, aliaque id genus, quæ sunt secundum carnis inclinationē. Et scit Deus, si homo has res, quas desiderat, consequatur, ijs abusus, ipsique occasionem multorum peccatorum fore, per quæ peribit. Atque idcirco multis seruis suis, & quibusdam etiam peccatoribus, qui in suâ malitiâ non obduruerunt,

runt, & quibus hanc misericordiam adhibere vult, impedimenta obijcit, quò minùs ista, quæ desiderant, consequantur. Et immittit eis aduersitates morborum, dolorum, calamitatum, ignominiarum, aliarumq; rerum contrariarum votis ipsorum, vt tollat illis occasiones peccandi, pereundiq; quas ex rebus à se amatis sumpturi erant, itaq; conseruentur in capto Dei seruitio, vel si inde discesserunt, per pœnitentiam eò reuertantur. Hac misericordiâ vsus est aliquando Deus erga populum Israël, quemadmodum ipse per Oseam significat, dicens: *a* *Dixisti: Vadam post amatores meos, ex quibus temporalia commoda percipio: propter hoc ego sepiam viam spinis, & sepiam eam maceriâ, vt ambulare per eam non possis, nec inuenire amatores tuos, etiamsi queras eos; vtque mali tui consilij pœnitens dicas: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem; quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc.* His
 verbis

a Os. 2. 5.

verbis declarat Deus istud beneficium, quo afficit homines, qui res mundanas desiderant, impediens eos spinis, & maceriâ rerum contrariarum, ne consequantur res illas, quas amant, & à quibus, tanquam ab amicis, utilitates sperant; utque tribulati redeant ad obedientiam, & amorem Dei sui, in quo quicquid boni desiderari debet, inveniunt. Ita Hieronymus super hæc verba: *a Ego sepiam viam tuam spinis, sue sudibus, ne possis ire, quò desideras, & interponam maceriam, sue murum, & semitas tuas, quas crebro triueras pede, non inuenies: ne apprehendas eos, quos tanto studio sequebaris, & rerum necessitate compulsus reuertaris ad virum tuum, & dicas illud de Euangelio: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenarijs tuis.* Ex quo intel-

S 6

ligimus.

a D. Hieron. Os. 2.

ligimus, quòd prouidentia Dei saepe nobis
 accidant mala, ne habeamus ea, qua cupi-
 mus, & varijs calamitatibus huius saeculi,
 ac miserijs ad Dei seruitutem redire co-
 gamur. Et est reuera hæc permagna
 Dei misericordia, & singulare benefi-
 cium ipsis, ac fauor: est item ingens
 æternæ prædestinationis signum, at-
 que testimonium, obijcere homini hæc
 aduersitatum impedimenta, eumque
 efficaciter mouere ad fructum inde
 colligendum, deponendo rerum tem-
 poralium amorem, ac desiderium, se-
 que sincerius ad Dei amorem, & obse-
 quium conuertendo. Notat hoc san-
 ctus Gregorius hisce verbis: *a Cum for-
 tasse infirmantur electi, atque in desiderijs
 illicitis ruunt, in hoc plerumque diuini
 muneris manu retinentur, quod voluntatis
 misera nullos effectus inueniunt. Cumq;
 eorum votis valida contrarietas nascitur,
 plerumque ex ipsa impossibilitate corri-
 guntur, & miro internæ dispositionis ordi-
 ne, per conuersionem mutatio mala volun-
 tatis*

1. a D. Greg. l. 34. mor. c. 1.

tatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur. Ita sanctus Gregorius. quemadmodum hoc ingens Dei beneficium est, quod ex infinita eius misericordiâ, & sæpè etiam aliquo modo ex bonis operibus, quæ hi tales ad illius obsequium fecerunt, quæ ipsum ad hanc misericordiam eis tribuendam mouent, proficiscitur; sic quod Deus peccatores relinquit, nec ijs hæc contrariarum rerum impedimenta obijcit, adeò vt impletionem suorum inordinatorum desideriorum consequantur, ipsisque res prosperè ex animi sententiâ eueniant, ingens diuinæ iustitiæ poena est, & effectus præteritorum peccatorum, propter quæ Deus ipsos tradit voluntati eorum. Sic ipsemet Dominus affirmat per Dauidem dicens: *a Populus, quem in peculiarem populum meum elegi, non audiuit, nec obediuit voci meæ; & in huius culpæ poenam, manum meam eis subtraxi, & dimisi eos secundum inordinata desi-*

S 7

deria

a Ps. 80. 12.

deria cordis eorum; adeoque hæc pœna in filijs populi mei executioni mandabitur, quòd *ibunt in adinventionibus suis*, videlicet in erroribus, ac vicijs ab ipforum iniquitate inuentis. Hoc idem significauit Dominus per Isaiam dicens: *a Super quo percutiam vos ultra, addentes prauaricationem? Quo testimonio*, inquit S. Hieronymus, *b discimus, idcirco Dominum percutere delinquentes, ut percussos corrigat, & non tam pœna sit, quàm emendatio. Estq; sensus: non inuenio, quàm plagis vestris possim adhibere medicinam: quanto enim tormenta maiora sunt, tanto magis crescit vestra impietas, & iniquitas: quare non amplius vos percutiam, nec peccata vestra impediam, sed voluntati vestræ vos permittam.*

O quàm hæc terribilis Dei pœna est! vna certè ex maximis, quæ cogitari possint. O quis hic peccati mortalis effectus! ex pessimis certè, quos habeat. Nam ex impletione inordinato-

rum

a Is. i. 5. b D. Hier. ibi,

rum desideriorum rerum terrenarum
oriuntur innumera peccata, & arman-
tur multi laquei iniquitatum, qui ho-
mines captiuos, fortiterque ligatos te-
nent, vt inde non exeant, nec ad Deum
conuertantur, sed in iniquitate vsque
ad mortem perseuerent, & damnen-
tur; id quod sapiens dicit: *a Prosperi-
tas stultorum perdet illos:* hoc est, prosper
successus, quem peccatores in deside-
riorum suorum impletione habent,
in æternam eos perniciem adducet.
Hinc error amatorum mundi cogno-
scitur, qui felicitatem, secundamque
fortunam arbitrantur, si eis res tempo-
rales bellè, & ex animi sententiâ suc-
cedant, quæ tamen magna infelicitas,
& infortunium est, cum inde ruina
animæ ipsorum existat. Quamobrem
magnâ ratione S. Augustinus dixit, *a*
Nihil esse infelicius felicitate peccantium,
quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala
voluntas velut hostis interior roboratur.

Con-

*a Prou. 1. 31. b D. Aug. epist. 5. ad
Marcell.*

Confirmemus hanc veritatem quibusdam sacrae scripturae exemplis. Balaam Propheta a motus precibus, ac donis regis Balac, statuerat maledicere populo Dei: & Deus huic malo eius proposito impedimentum obiecit, mittens Angelum, qui mortem illi, si rem talem faceret, est minatus. Destitit ille tunc a sua iniquitate; sed ad eam deinde reuersus, decreuit nihilominus maledicere populo Israël non solum voce, sed re quoque ipsa, faciendo eum fornicari, & idololatriam exercere. Et Deus, qui primum illius malum desiderium impediuit, hoc alterum non impediit, sed ipsum puniuit, tradens eum suae voluntati; sicque illud Balaam executus est, suadens regi Balac, vt iuberet mulieres Moabitides obuiam prodire, qua Israelitae transibant, quae ipsos in peccata fornicationis, & idololatriae induxerunt. Cum permisisset Deus Balaamum hoc delictum committere, permisit quoque ipsum

a Num. 22, 21.

in eo perseuerare, donec Israëliitarum exercitus in terram Madian, vbi ille erat, venit; ibique eum in peccatis suis occiderunt; vnde scriptura *a* ipsum tanquam perditionis filium celebrat. Cùm antea vir iustus fuisset, vt S. Hieronymus dicit, *b* Deus in pœnam aliquam peccatorum permisit eum in alia cadere, donec propter illa damnaretur. Cùm filij Israël per desertum proficiscerentur, in peccata quædam lapsi sunt, & Deus illos propterea puniuit, atque correxit. Incessit eos desiderium carniū contra Dei voluntatem, quæ erat, vt Mannâ contenti essent; vidensque Dominus illos in desiderio suo persistere, ordinauit, vt illud ipsis impleretur, faciens ad exercitum innumerabiles coturnices aduolare, quas occisas comederunt; cæterum magno malo suo; siquidem multis inde temporalis, æternaque mors extitit; quia dum comederent, cecidit super eos ira Dei, ipsosque interfecit: & quo-

a 2. Petr. 2. 15.

niam

b D. Hieron. tom. 3. in qq. Hebr.

niam mors subita inopinantes deprehendit, multi absque peccatorum suorum pœnitentiâ extincti sunt, quemadmodû Psalmista significat, dicens, *a* *Occisos esse pingues eorum*, hoc est, potentiores, delicatiores, voluptatibusque addictiores, qui præcipui auctores delicti extiterant. Et de rege impio in libro Danielis dicitur: *b* *Roborabitur fortitudo eius contra aduersarios ipsius, & prosperabitur in malis, & faciet secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum in malitiâ, quam fabricauerit, magnificabit.* Hoc est, quod peccatoribus in pœnam peccatorum ipsorum contingit, habere fortitudinem, & industriam ad exequenda sua mala desideria, nec esse, qui resistat eis, ipsosque retineat. Atque hæc iusta Dei in illos animaduersio est, sinere impleri peruersas eorum intentiones, & vana fallaciaque consilia cordium ipsorum, nullo eis opposito impedimento. Benè considerare.

a *Pf. 77. 31.* *b* *Dan. 8. 24.*

deremus, quàm malus, & amarus sit hic fructus, quem peccatum producit, quamque sit horrenda hæc diuinæ iustitiæ pœna; & Deum assiduè precemur, ne nos hoc mortis flagello puniat, ne in nobis exequatur hanc pœnam tam vicinam æternæ damnationi, dicentes cum Dauide: *a Adiuutor meus esto, Domine, in omnibus meis necessitatibus, ac periculis, & contra omnes inimicos meos; ne derelinquas me, nec desit mihi vnquam auxilium tuæ præsentia; neque despicias me Deus salutaris meus, fauorem tuum mihi denegando.* Porrò vt hæc oratio efficaciam habeat, & Deus nobis illius impletionem semper concedat, remoueamus per pœnitentiam ab animâ impedimentum peccati, quærentes Deum ex toto corde, valdeq; constanti cum proposito semper ei seruiendi. Atque ita haud dubiè consequemur, quæ postulauerimus, cum æternæ veritatis verbum sit dicentis: *b Sperent in te, Domine, qui*

NON-

a Ps. 26. 9. b Psal. 9. 11.

nouerunt tuam potentiam, & bonitatem tuam; quoniam non dereliquisti unquam quærentes te.

Per peccatum mortale hominem insipientem, & brutis animalibus similem fieri.

CAP. XXXVII.

PRincipales hominis potentia sunt intellectus, & voluntas, sitæ in superiore animæ portione, in quâ ille differt à cæteris animalibus, quæ ratione carent. Ornamentum, ac perfectio voluntatis quidem est virtus, vitæque sanctitas, intellectus verò, sapientia, & cognitio veritatis. Et quamuis defectus voluntatis in virtute, quam habere debet, coram Deo maximus sit, tamen defectus quoque intellectus in sapientiâ, ac prudentiâ, quam habere illum conuenit, permagnus est, valdeque voluntatis defectui annexus. Et communiter inter homines maiori probro ducitur defectus intellectus,